DISSERTATIO PHILOLOG
DE
DVABVS
PVRGATION
SI DESTINATI
DEMQVE
RIC
AD LOC
LEVIT. XI
QVAM
FAVENTE SVPREN
PRÆSI
DN. IO. GEORGIO
PROFESSORE THEOLOGIÆ PV
ILLVSTRIS GYMNASII REG
EPHORO
PATRONO AC PRÆCEPTOR
IN AVDITORIO PVBLICO
AD DIEM IX. AVGVSTI
AB HOR. IX.-XI
PLACIDÆ ERVDITORVM
AVCTO
DANIEL CARC
HALENSIS, S. S.

HALÆ MAGDI
Typis IOANNIS CHRISTIANI H

OLOGICO-THEOLOGICA

DE

S AVIBVS
ONI LEPRO-
ATIS, EARVN-
E MYSTE-
RIO

LOCVM

XIV. 1-8.

QVAM

PREMO NVMINE

ÆSIDE

GIO MICHAELIS,

Æ PVBLICO ORDINARIO, AC
I REGII REFORMATORVM
PHORO,

TORE SVO DEVENERANDO,
BLICO ILL. LYCEI REGII
GVSTI MDCCXXXVII.
X.-XII. MATVT.

DRVM συζητήσει SVBIICIT

VCTOR

ROLVS LVTZ,

S. S. THEOL. C.

AGDEBVRGICÆ,
ANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

BS 1255
.M53
1737
c.1
Rare

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO VIRO,

DOMINO,

DOM. SAMVELI

LIBERO BARONI

DE COCCEJI,

DYNASTAE IN PVCHLIN, ROEPKOW, RELIQVA,
AVGVSTISSIMI PORVSSORVM REGIS MINISTRO STATVS INTIMO,
ADPELLATIONVM SACRORVMQVE TRIBVNALIVM PRAESIDI,
CAVSSARVM GALLICARVM ET FEVDALIVM GVBERNATORI,
REGIARVM ACADEMIARVM OMNIVM, ATQVE ILLVSTR. GYMNAS. JOACHIMICI CVRATORI AC DIRECTORI SVPREMO,
ILLVSTR. REGIM. HALBERSTAD. DIRECTORI,

DOMINO SVO BENIGNISSIMO,

PATRONO AC MECAENATI

OMNI OBSEQVIO

AC PIETATIS CVLTV SVBMISSE COLENDO.

VIRO
PER-ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO,
DOMINO,
DOM. FRIDERICO DE REICHENBACH,

POTENTISS. PORVSS. REGI A CONSILIIS
SANCTIORIBVS,
SENATVS ECCLESIASTICI,
RELIQVORVMQVE COLLEGIORVM SACRORVM,
ITEMQVE
ACADEMIARVM REGIARVM
AC
ILLVSTR. GYMN. REG. JOACHIMICI
PRAESIDI AC CVRATORI
DIGNISSIMO,
ILLVSTR. REGIMINIS MINDENSIS
CONSILIARIO,

DOMINO, PATRONO

AC MECAENATI SVO,

OMNI HONORIS, OBSERVANTIAE AC PIETATIS
GENERE AETATEM SVSPICIENDO.

VT ET

VIRIS

SVMME VENERANDIS, EXCELLENTISSIMIS ATQVE DOCTISSIMIS,

DOMINO

DANIELI ERNESTO JABLONSKI,

S. THEOL. DOCT. CELEBERRIMO,
AVGVSTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONCIONIBVS SACRIS,
ECCLESIARVM REFORMATARVM PER MAJOREM POLONIAM ET PORVSSIAM SENIORI VENERABILI ADMODVM,
CONSISTORII ATQVE CONSILII ECCLESIASTICI MEMBRO DIGNISSIMO;
REGIAE SOCIET. SCIENTIARVM PRAESIDI GRAVISSIMO.

DOMINO

HENRICO AVGVSTO STEINBERG,

SACRAT. REG. MAJESTATI A CONCIONIBVS SACRIS,
ET CONSILIIS ECCLESIASTICIS,
THEOLOGO SOLIDISSIMO.

DOMINO
JOANNI ARNOLDO
NOLTENIO,

S. THEOLOG. DOCTORI CELEBERRIMO,
POTENTISSIMI PORVSIAE REGIS CONCIONATORI AVLICO
FACVNDISSIMO,
RERVMQVE ECCLESIASTICARVM CONSILIARIO
MERITISSIMO,
FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS SVIS MVLTIS NOMINIBVS
OBSERVANDIS,
SPECIMEN HOC ACADEMICVM
DEVOTISSIMA MENTE
DEDICAT,
IPSORVM INDVLGENTISSIMO AC BENIGNISSIMO
PATROCINIO
SE, SVAQVE STVDIA OBSERVANTISSIME
COMMENDAT.

DANIEL CAROLVS LVTZ,
AVCTOR.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA


DE

DVABVS AVIBVS PVRGATIONI LEPROSI DESTINATIS, EARVNDEMQVE MYSTERIO,

ad

Levit. XIV. 1-8.

PROOEMIVM.



Vm vigente Oeconomia Veteri ex facili evenire poſſet, ut aliquis in pollutionem incurreret, ex omnibus tamen immunditiarum generibus non eſt, quod gravitate ſua & aliis περιςάσεσι cum pollutione ex lepra componi queat. Vt taceam morbi diritatem, quæ tanta erat, ut non humanis, ſed divinis viribus medela illi parari poſſet, iſtiusmodi homo, vivus quidem, nihilo tamen minus mortem perpetuo circumferens, indignus habebatur, qui cum aliis hominibus verſaretur, vel ullum cum illis conſortium conſtitutum haberet. Extra urbem amandabatur, in que loco aliquo, ipſi deſtinato, ſolus ſolitudi-

nis tædia devorare cogebatur. In omnibus calamitatibus dulce est, molestias ex vsu & conspectu suorum lenire, suasque solicitudines in sinum fidissimorum amicorum effundere; sed vero leprosus ex amplexibus conjugis & prolis suæ avellebatur, aque societate integerrimorum amicorum sejungebatur. Quare JOSEPHVS pronuntiat: τȢς δε λεπρȢς ἐις το παντελες ἐξηλασε της πολεως, μηδενι συνδιαιτωμενȢς καὶ νεκρȢ μηδεν διαφεροντας, *leprosus vero omnino civitate ejecit* (Moses), *ut cum nemine vitæ consuetudinem haberent, nec a mortuis quidquam differrent, Antiq. Jud. Lib. III. Cap. XI.* Verum enim vero quanta etiam cunque sunt infortunia, illa æquo patientique ferri possunt animo, ubi Deum nobis faventem propitiumque esse persuasi sumus. Quando autem homo, lepra tactus, cum animo suo reputavit, se loco illo extrusum esse, in quo DEVS præsentiam suam modo plane singulari testabatur, quid, quæso, aliud cogitare poterat, quam, gravissimam iram atque indignationem supremi Numinis se sibi arcessivisse. Gravitas morbi hujus atque impuritatis illius in caussa fuit, ut eidem detergendæ remedia adhiberentur, quæ animum hominis sagacis per se arrigere possunt. Cum in aliis pollutionibus satis esset, ut una lustratione, vel etiam sacri-

ſacrificio oblato, puritati priſtinæ immundus reſtitueretur; leproſus, purgatione facta, integrum adhuc ſeptiduum exſpectare neceſſum habebat, & ſtata ſacrificia parare cogebatur, quibus factis, ad domum ſuam & habitaculum Domini demum accedere integrum erat. Igitur ubi leproſus tanta laboravit impuritate, oportet illius cauſſa, vel ex ipſa morbi natura, vel ratione quadam arcaniori repeti. Lepram illius fuiſſe naturæ, ut vel ſolus adſpectus alios omnes ab iſtiusmodi hominis conſortio arcuerit, haud difficulter conceſſerim; ſed illius impuritatem ex natura ſua tantam non fuiſſe, quanta per legem eſt habita, adſeverare nullus dubito. Vnde ſponte ſua ſequitur, ex ſapientiſſimo Dei conſilio in impuritate leproſi ejusdemque purgatione imaginem aliquam ſpiritualis immunditiei ac liberationis ab illa exhibitam eſſe. Qua de cauſſa cum, publicum aliquod ſtudiorum meorum Academicorum ſpecimen editurus, legem *de purgatione leproſi, beneficio duarum avium facta*, explanare in mentem induxerim, ipſa natura inſtituti hujus monet, ut inveſtigem: *primo*, in *ſenſum literalem*, *inde* vero *arcaniorem*, ſive illius *δηλωσιν πνευματικην* eruam. In priori parte id agam, ut legem hanc luſtralem ex volumine legum Moſaicarum ac Ma-

giſtrorum δευτερώσεσι, quantum fieri poterit, repetam eſt illuſtrem: in poſteriori declarabo arcanioris multum inſtituto huic ſubfuiſſe, ſenſus typici fundamenta demonſtrabo, & ad rem ſpiritualem transferam. Equidem hoc ipſum meum Argumentum jamdum excuſſit Celeberrimus Theologus & Philologus JOH. HENR. HOTTINGERVS, qui in præſentia univerſitatem Heidelbergenſem ornat, peculiari diſſertatione *de duabus avibus leproſi purgandi*, habita *Marb. Catt.* 1706. Cujus lucubrationibus uti nihil detractum cupio, ita mihi paſſim lucem ad fuderunt ac inſigni fuerunt adjumento, ſpero tamen fore, ut in hac mea commentatione quædam fuſius ac copioſius exponantur. Cui labori vbi me, juvenem, nec ab illa ſcientia, quæ ad argumentum adeo impeditum ac retruſum pertractandum requiritur, inſtructum accingo, Deum, populi ſui ductorem ac doctorem, prece ac ſuppliciis ſubmiſſe efflagito, ut auxilio & ſpiritu ſuo mihi adeſſe, meiſque cœptis benigne adſpirare velit.

CAPVT

CAPUT I.

DE SENSU LITERALI LEGIS DE PURGATIONE LEPROSI.

ARGUMENTUM.

§. I. *Divisio tractationis sensus literalis instituitur.*

§. II. *Sensus vocis* צפור *investigatur, demonstraturque non speciem aliquam avium, sed generatim avem puram intelligi debere.*

§. III. *Quales ex sententia legis Mosaicæ & traditionibus Magistrorum fuerint requisitæ aves.*

§. IV. *De rebus applicationi inservientibus, ligno cedrino, lana coccinea & hyssopo disseritur.*

§. V. *De mactatione avis unius, & præparitione sanguinis ad adspersionem in vase fictili agitur.*

§. VI. *Adspersio ipsa, quomodo facta, & quænam pars leprosi adspergenda fuerit, ostenditur.*

§. VII. *Altera avis, viva ad huc, ejusdemque dimissio exbibetur.*

§. VIII. *De fine sive pronuntiatione purgationis agitur, ubi simul inquiritur in sententiam eorum, qui avem mactatam sacrificii rationem habuisse, contendunt.*

§. IX. *Pro feruntur rationes (I) Morales, quas Judæorum doctores adducere solent,*

§. X. *(II) Symbolicæ,*

§. XI. *Physicæ, quæ Grotio & Spencero adriserunt.*

§. XII. Ἐπικρίσις *in rationes illas instituitur, illasque sufficientes minus esse demonstratur, quo sic via ad contemplationem sensus spiritualis ritus huius præstruatur.*

§. I.

IN explicatione legis de purgatione leprosi prima & inchoata, quam perscriptam habemus *Levit. XIV.* 1-18. dum versor, oportet considerem (I.) *Materiam* sive *rem*, quæ ad purgationem adhibebatur, (II.)

 Appli-

Applicationem illius factam leproso, (III.) *Effectum*, sive *finem*, purgationem ipsam. Materiam constituebant res, numero & natura diversæ, *aves duæ*, *lignum cedrinum*, *lana coccinea & hyssopus v. 4.* exquibus aves purgationis materiam proprie ingrediebantur, reliquæ res applicationis modo inserviebant.

§. II.

Aves veniunt nomine צִפֳּרִים, quod descendit a radice צָפַר *evolavit*, *maturavit*, quia avibus solemne est summo mane surgere, feris animantibus altum dormientibus, judice BOCHARTO *Hieroz. P. II. C. XXV.* ex mente MAII vero a rad. Arab. צפר *sibilavit*, *fistulavit*, *sibiloso sono cecinit avis*, quoniam aves fere pleræque istum sonum exprimunt. Denotat autem omnem avem sive munda sit, sive immunda; hinc recte affirmat KIMCHI, vocem צִפּוֹר esse nomen generale, ambitu suo complectens volucres omnes שם כולל לכל עוף *libro rad. p. 426.* Cum illo facit ABARBANEL non sine ratione pronuntians: הוא שם כלל לכל לעוף כקטון כגדול *est nomen generale cujuscunque avis*, *sive majoris*, *sive minoris*, in פירוש התורה *fol. 246.* Sunt tamen viri quidam docti, qui discrimen aliquod quærunt inter עוף & צפור, per prius indigitari volunt omnes *aves generatim*, per posterius autem *mundas* tantum. Sed huic sententiæ quo minus calculum adjiciam, sequentibus impedior rationibus, (1) quia in codice sacro vox צפור adhibetur de avibus promiscue sumtis, non habita ratione vel munditiei vel immunditiei illarum v. g. *Ps. CXLVIII. 10. Ezech. XVII. 23.* alia loca brevitatis caussa prætermitto. (2) Quia vox טהור *munda* voci צפור sine ratione adderetur, si per se avem *mundam* designaret. Nec illud extra dubium est posi-

positum, vocem צפור denotare *aves minores*, speciatim *passeres*, quoniam hi inter aves minores sint species vulgatissima, quæ sententia adrisit AVENARIO, MERCERO & SCHINDLERO, ex quibus primus existimat, vocem græcam ψαρις & latinam *passer* per literarum metathesin ex צפור ortum suum traxisse. Nam, ne quid dicam, vocem צפור generatim sumi pro omnibus avibus, quod ex locis superius excitatis apparet, quibus addere possumus *Deut. IV. 17. XIV. 11. XXII. 6.* observandum est, adhiberi de avibus rapacibus, interque illas *aquila*, omnium auium regina *Deut. XIV. 11. seqq.* Igitur rationem non habent prægnantem, qui per vocem צפרים hoc in loco certam quandam avium speciem designari putant, quod post HIERONYMVM, VVLGATVM *interpretem*, LYRA, CORN. a LAPIDE, BONFRERIVS, pluresque alii faciunt. Provocant quidem ad locum *Ps. CII. 8.* שקדתי ואהיה כצפור בודד על-גג *vigilavi & similis sum avi solitariæ in tecto*, ubi loci vocem צפור interpretum plurimi accipunt de *passere*, sed minus recte, quod enim colligunt ex prædicato, quod scil. *sedeat solitarius in tecto*, non proprium est solis speciatim *passeribus*, sed & aliis avibus commune. BOCHARTVS ὁ πανυ intellectum vult *bubonem*, eo quod e tectorum culminibus ferale carmen edat, Hieroz. *P. II. L. I. C. XXII.* cujus rationes ad examen reuocat GVSSETIVS *Comment. Ebr. Ling. p. 721. 722.* ac vocem צפור generali hic significatione gaudere posse, ostendit. Interim non negaverim, in quibusdam locis generalem illam significationem ad certam aliquam speciem restringi, uti *Ps. LXXXIV. 4. Prov. XXVI. 2.* LIGHTFOOTVS in *Hor. Ebr.* ad *Lucæ XII. 6. p. m. 532.* qui pariter *passeres* ad mundationem leprosi ad hibitos censet, recipit se ad verba illa R. SAL.

ISAACI-

ISAACIDIS צפרים שמפטפטין תמיד בצפצוף קול *passeres qui semper garriunt pipitu vocis* Sed (α) num pipitus solis passeribus est privus & peculiaris, nonne etiam aliis avibus adscribitur, conf. *Jes. X. 14. XXXVIII. 14.* nec rejiciendum est omnino, quod cel. MAIUS observat, vocem צפור expressam esse ad similitudinem soni *Ziph*, quem exprimant aves, ad *Lex. Cocceji p. 118.* (β) LIGHTFOOTUM ex verbis illis R. SALOM. plus collegisse, quam in illis latet, ex eo fit manifestum, quoniam ad vocem טהורות notat פרט לעוף טמא *excepta ave impura*, an igitur soli passeres sunt puri, ut opponi possint impuris? Omnem scrupulum eximunt verba ejusdem ad *Joel. I. 20.* ציפצוף לעופות *pipitus proprius est avibus*, conf. *Cel.* HOTTINGERUS *Diss. de duabus avibus leprosi purgandi p. 2.* Inde jam conficio, in loco nostro, quem tracto, non speciatim intelligendos esse *passeres*, & id quidem eo maxime, quia postulantur *puri*, quod pluribus demonstratum ivit BOCHARTUS *Hieroz. P. II. L. I. C. XXII.* Aliam viam ingressus est JO. HENR. HOTTINGERUS, qui verba R. LEVI BARZELONITÆ ומביא שתי צפרים דרור טהורות vertens, *affert etiam duas aves libertatis*, *mundas*, explicat per *hirundines; est enim*, inquit, צפור דרור *avis libertatis*, *Hirundo*, de jure *Hebr. Lege CLXXIII. p. 257.* sed minus recte, quod si enim vox דרור alicubi notat hirundinem, hic tamen loci certam avis speciem non designat, sed potius attributum aliquod, quod omnibus avibus, quæ libertate sua adhuc fruuntur, inque libero aëre volitant, est proprium. ORIGENES per צפרים intellectas vult *gallinas*, non alia ductus ratione, quam quod Christus *Matth. XXIII. 37.* profitetur, se *gallinæ* instar ad se colligere voluisse cives Hierosolymitanos, in *Lev. XIV. Homil. VIII. p. 92. Opp. T. I.*

Sed

Sed in loco Matthæi nihil aliud agitur, quam ut similitudo inter gallinam & Christum ratione collectionis ac convocationis instituatur. Gallinæ propterea ex lege adhiberi non poterant, quoniam post mactationem alterius avis, altera viva in liberum aërem dimittenda: sunt autem gallinæ aves domesticæ, quæ aërem suo volatu non petunt, nec in illo degunt. Igitur id reliquum est, ut dicamus, nullam hic avium speciem determinari, sed quamcunque avem, modo viva esset & pura, ac tantum sanguinis, quantum ad adspersionem requirebatur, continuerit, adhiberi potuisse. Quare siquis *columbas* aut *turtures*, quæ sententia videtur placuisse BOCHARTO *Hieroz. P. II. L. I. C. XXII.* & ALTINGIO ad *Lev. XIV. Opp. T. I. p. 80.* aut etiam *passeres* adferebat, is non committebat aliquid, quod legi erat adversum. Et videtur legislator hoc libertati hominis leprosi reliquisse, ne in conquirenda certa avium specie cura ac solicitudine se conficeret. In qua sententia sunt *interpres Chaldæus*, itemque *Commentatores Judæi*, ex *Christianis* LVTHERVS, OSIANDER, TREMELLIVS, CASTALIO, PISCATOR, DIODATVS, BELGÆ, *alii*. *Interpres Græcus*, convertendo vocem צפרים per ὀρνίθια, ad minores aves respexisse videtur.

§. III.

Aves has describit Legislator (α) a numero, (β) a qualitatibus. Numerum quod attinet, Moses שתי *duarum* facit mentionem, quarum una mactanda, altera autem, post factam adspersionem, dimittenda. Vnde vero aves hæ parari debuerint, de eo Judæorum doctores in divortia abire video. ABEN ESRA in ea est sententia, sacerdotem, qui purgationem faciebat, aves has ex suis opibus comparasse, הכהן יקח משלו *sacerdos ille sumsit*

(aves) *ex sua substantia*, addit tamen ilico: ויש אומרים המצורע יתנם, *sed sunt qui dicunt, leprosus dedit illas*. Quæ ipsa etiam est mens ABARBANELIS, cujus verba hæc sunt, יצוה הכהן שיקחו מנכסי המטהר שהוא הצרוע וממנו שתי צפרים *præcepit sacerdos, ut comparent ex facultatibus purgandi leprosi, ejusdemque opibus aves duas*. Qualitates illarum *alias* lex describit, *alias* Judæorum magistri nominant. Secundum legem debebant esse (α) *puræ*, (β) *vivæ*. Non possum a me impetrare, quo minus adscribam verba ex *Pesikta*, quæ habentur in ילקוט ראובני *p. 120. col. 4.* לקח למטהר שתי צפרים חיות טהורות חיות ולא שחוטות חיות טהורות ולא טמאות חיות טהורות ולא טריפות חיות בליאות *sumsit in gratiam purgandi duas aves, vivas, puras, vivas, non mactatas, vivas, puras, non impuras, vivas, puras, non dilaceratas, vivas, integras*, sanas. Quoniam igitur puræ esse debebant, ex illarum avium genere sumebantur, quibus vesci, quasque ad aram adducere integrum erat *Deut. XIV. 11.* inde Magistri præcipiunt, ne petantur *ex urbe ad idololatriam seducta, aut in qua avibus cultus aliquis exhibebatur*, quemadmodum inde etiam animalia ad sacrificia arcessere non licebat, quod demonstravit *Cel.* HOTTINGERVS *Diss. cit. p. 4.* Præter illas autem qualitates, quas lex significat, Judæorum doctores requisitum fuisse contendunt, (1) ut emtæ sint nomine viri, vel fœminæ leprosæ purgandæ, quod ex MAIMONIDE *de lepra C. XI. §. 1.* adducit AINSWORTHVS ad *Lev. XIV. 4.* quod probant ex verbis legis ולקח למטהר *ut sumat nomine purgandi*. Quanquam tamen id non ita stricte, quod addit, fuit observatum, nec ex verbis his effici potest. Sumebantur aves in *commodum* ac *emolumentum* purgandorum, quod in sequentibus probabimus, num vero

sum-

ſumtæ fuerint *nomine* purgandi, id non æque clare ex illis elici poteſt. (2) Volunt, aves has debuiſſe eſſe *liberas*, ita enim in *Miſchna Cod. Negaim C. XIV. §. 1.* legimus, ומביא שתי צפרים דרור & *adducit* ſc. leproſus, vel alius aliquis illius nomine, *aves* דרור, quæ vox in *Thoſephot Jom Tobh* & a BARTENORA obſcure explicatur שדרות בבית כבשדה, *quæ æque in domibus ac in agris habitant*, nidulantur. Clarius exponit ABARBANEL, לא בייתיות שהן בבדות לעוף אלא חיות שלקליתן עופפות יותר *non eſſe domeſticas, quæ ad volandum minus ſunt expeditæ, ſed vivas* (in libero aëre ſe librantes), *quæ ad volandum magis ſunt aptæ, in legem fol. 198. col. 4.* (3) Illas ſibi per omnia ſimiles exſtitiſſe. Tradunt hoc in *Cod. Negaim C. XIV. §. 5.* שתי צפרים מוצותן שיהו שוות במראה ובקומה ובדמים ולקיחתן כאחת *de duabus avibus eſt præceptum, ut ſint æquales, quod ad adſpectum, & ſtaturam, & pretium, & uno eodemque tempore ſint captæ*, ſive comparatæ. Conſuetudinis hujus non aliam rationem afferunt, quam quod ita a majoribus ad ipſos ore ſit transmiſſa. Si quis vero conjecturæ locus; putauerim, ritum leproſi adcommodaſſe ritui duorum hircorum in ſolemni expiationis die. Liquet hoc paſſim ex iis, quæ Judæorum magiſtri de purgatione leproſi commentantur, ac præ aliis conferri poſſunt *Thoſephot Jom Tobh*. Hircos autem duos per omnia ſibi ſimiles elegiſſe, conſtat ex JOMA *C. VI. §. 1.* Sed tamen & hoc Doctores Miſchnici non ita neceſſarium reputarunt, ut, ſi quidem iſtæ æqualitates abſuerint, propterea tamen non ineptæ fuerint habitæ, אף על פי שאינם שוות כשרות לקח אחר היום ואחר למחר כשרות, *licet æquales non fuerint, rite tamen adhiberi potuerunt, & ſi alia avis hodie, alia cras fuerit capta*, ſive adquiſita, *nihilo tamen*

minus aptæ fuerunt. Quod ipſum etiam de duobus iſtis hircis præcipiunt.

§. IV.

Res, quæ applicationi ſerviebant, nominantur tres, *lignum cedrinum*, *lana coccinea*, *hyſſopus*. Ampliſſimus hic diſſerendi campus, ſi prolixior eſſe vellem, ſe aperiret, quas ſpecies intelligi velint eruditi, & quæ natura iſtarum ſpecierum. Sed quia hæc ad inſtitutum meum non ita neceſſario faciunt, ea tacitus prætermitto, tantum conſideraturus, quæ Judæorum circa longitudinem, latitudinem & quantitatem harum ſpecierum ſententia. *Prima* itaque ſpecies eſto עץ ארז *lignum cedrinum*. Vocem ארז ab Arabica ارز, quæ denotat *firmus ſtabilisque fuit*, *radicibus in ſolum firmiter defixis*, derivari, quoniam tum materia cedri firmitatem habeat, tum arbor firmiſſima nitatur radice, poſt GOLIUM *lex. Arab. p. 68.* & MAIUM *ſupplem. in lex. Cocceji p. 11.* demonſtravit HILLERUS *hierophyt. P. I. C. XLI. p. 378.* Recte autem עץ ארז *LXX. interpretes* convertunt per ξυλον κεδρινον, quod quoniam faciebat maxime, ut hyſſopus eidem adjungeretur, frondes ejus atque folia ſine dubio amputata fuerunt, unde a R. SAL. ISACIDE & ABARBANELE redditur מקל של ארז *baculus cedrinus*. Cavere tamen debebant ſedulo, ne cortex eidem deſtringeretur, illa quippe detracta, ad luſtrationem hanc commodum erat minus, MAIMON. *C. XI.* §. *1.* Longitudo ejus ex magiſtrorum ſententia fuit cubiti, craſſities autem inſtar quartæ partis fulcri lecti, ita enim in *miſchna* habemus, מצות עץ ארז ארכו אמה ועביו כרביע כרע המטה, *de cedro præceptum eſt, ut longitudo illius cubitum, craſſities autem quartam circiter partem fulcri lecti efficiat*, *Negaim C. XIV.* §. *6.* paria cum illis habet MAIMONIDES.

NIDES. *l. c.* Propterea autem tanta longitudo illi datur, quoniam vicem manubrii præstabat, cui alligabatur hyssopus, quæ nisi fulta fuisset robustiori bacillo, ob teneritudinem suam versus objectum moveri non potuisset. *Secunda* species appellatur שני תולעת *lana coccinea*, per quam intelligimus *lanam cocco tinctam* inque filum deductam, inde *LXX. interpretes* reddunt κλωστον KOKKINON, qua de videri possunt BOCHARTVS *hieroz. P. II. L. IV. C. XXVII. p. 623-625.* BRAVNIVS *de vestitu sacerdotum L. I. C. XV. p. 217-241.* WICHMANS HAVSEN *de aspergillo Ebr. sacr. §. 5. p. 16.* R. SAL. ISACIDES interpretatur לשון צמר צבועה זהורית *linguam* sive *ligulam lanæ coccino tinctæ*. De cujus pondere ita disserit MAIMONIDES *de lepra c. XI. §. 1.* שני תולעת משקלו שקל, *coccini pondus est siclus*, quod ipsum habet R. LEVI apud HOTTINGERVM *de Jure Hebr. l. c. p. 250.* Sequitur denique *tertia* species, quæ dicitur אזב, quæ vox non adeo certæ est originis. *Cl.* HILLERVS *hierophyt. P. II. C. VIII. p. 42.* illam per literarum metathesin vult esse ex זאוב, & illud ex radice זבב *vagari*, ב prius in א migrante. Quæ tamen derivatio aliquantulum coacta videtur. Non *hyssopum*, sed aliam quandam fruticum speciem, singulatim *rorem marinum*, ex eruditis nonnulli volunt intellectum, quam sententiam cum primis ornandam suscepit doct. FESSELIVS *advers. sacr. L. V. C. X. p. 471-473.* pro hyssopo pugnat BOCHARTVS *hieroz. P. I. L. II. C. L. p. 582. 593.* WICHMANSHAVSEN *Diss. cit. §. 2. p. 6-12.* cui sententiæ accedere nullus dubito. Illius cum diversæ essent species, quæ a locis, in quibus proveniebant, nomen sortiebantur, Judæorum doctores *communem*, nec vllo nomine a loco insignitam, in hunc vsum delectam fuisse contendunt. Ita enim in codice Negaim *C. XIV. §. 6.* pronun-

nuntiant: מצות אזוב לא אזוב יון לא אזוב כוחלי לא אזוב רומי לא אזוב מדבלית ולא כל אזוב שיש לו שם לווי, *præceptum de hyssopo quod attinet, non debebat esse hyssopus Græca, non fucata*, (uti BVXTORFIVS interpretatur, sed quoniam talis hyssopus non datur, præferenda est lectio BOCHARTI לא כוחלו *non parietaria*, vel *summœniana*) *non Romana, non sylvestris, nec hyssopus, quæ peculiari quodam nomine appellatur*. Quod ipsum etiam de hyssopo, quæ adspergendo cineri vaccæ rufæ, aqua viva macerato, destinabatur, adfirmant in *cod. Para c. XI.* §. 7. Sensus est, requisitam fuisse hyssopum communem, quæ neque a loco, neque ab alia quadam virtute, vel qualitate nomen sortiebatur, uti explicant BARTENORA, & R. D. KIMCHI. Præterquam autem quod illa cortice ac foliis suis instructa esse deberet, addunt ex illa debuisse egredi *tres stipites*, sive *caules*, & *unumquemque caulem habuisse tres ramusculos*, *Para C. XI.* §. 9 *conf.* BOCHART. *hieroz. P. II. L. II. c. I. p. 588. edit. Lond.* SPENCER. *de leg. Ebr. rit. L. II. C. XV. p. 358.* DASSOVIVS *Diss. de lustrat. Ebr.* §. 10. *p.* 7. Caussam hujus suæ sententiæ repetunt ex *Exod. XII.* 22. vbi loci adspergillum, quo sanguis agni paschalis adspergendus, appellatur אגדת אזוב *faciculus hyssopi*, qui tribus constet caulibus, uti R. SAL. ISACIDES interpretatur שלשה קלחין קרויין אגודה. Hyssopus autem hæc ad minimum palmam magnitudine æquare debebat שאין פחות מטפח *Gemar. Nidda fol. 26.* R. LEVI apud HOTTINGERVM *p.* 250. Cedrinum autem lignum & hyssopus beneficio filamentorum coccineorum colligabantur, constringebantur; ita enim in *mischna* scriptum invenimus כרכן בשירי הלשון והקיף להם ראשי אגפים וראש הזנב של שניה *convolvit extremo ligulæ* (*coccineæ*) *& adjunxit illis extremita-*

mitatem caudæ secundæ sc. avis, *Negaim C. XIV.* §. *1.* Ex quibus verbis hoc colligo: cedrum quidem & hyssopum ligula coccinea colligatam a constrictam fuisse, (quæ ligula, quod ex MAIMONIDE *de lepra Cap. XI.* §. *1.* apparet, totam manubrii longitudinem ambibat) non autem avem una circumligatam esse, liquet hoc ex interpretatione BARTENORÆ & R. LEVI BARZELONITÆ, extremitati autem adspergilli applicuisse extremitates alarum & caudæ avis. Quare BARTENORA in proxime seqq. addit היה סומך להן ראשי אגפים ולאש הזנב של צפור החיה *proxime applicuit illis* (cedro sc. ac hyssopo ita colligatis) *extremitates alarum & extremitatem caudæ avis vivæ.* Rem ita concipio: ubi bacillum cedrinum ac hyssopum ita constrinxit ligula coccinea, ut adspergilli vicem præstare possent, tum manu adplicuisse extremitates alarum atque caudæ; si enim avis una colligata fuisset, non prius dimitti potuisset, quam ligula illa soluta esset.

§. V.

Vidimus purgationis materiam, sequitur *forma*, sive *modus*, quo res illæ ad purgationem sunt apparatæ, de quibus vs. 5. 6. inter quas primo loco occurrit *avis mactanda.* Persona, cui cura tum mactationis, tum præparatio reliquarum rerum demandatur, dicitur כהן *sacerdos.* Hic ex lege solus idoneus erat inspectioni lepræ, huic soli competebat facultas leprosum mundum vel immundum declarandi juxta *Lev. XIII. 2.* Sed quæritur inter magistros, num unus idemque sacerdos & præceperit & mactarit, an vero munus hoc alii demandarit sacerdoti, vel etiam Israëlitæ? Posterius affirmat ABEN ESRA כהן אחר או ישראל *sacerdos alius* (distinctus

a præ-

a præcipiente mactat) *aut Iſraëlita*, per leproſum autem hoc ipſum fieri potuiſſe pernegat, ויא׳ המצורע והוא לחוק׳. Eandem ſententiam expreſſam habemus in *Jalkut* צוי׳ בכהן ושחיטה בכל אדם *præceptum dabatur per ſacerdotem, ſed mactatio peragi poterat per quemvis hominem*; addunt tamen ſacerdotem, ſi voluerit, mactare potuiſſe, אף שחיטה בכהן *etiam mactatio peragenda per ſacerdotem*. Quidquid hujus eſt, id omne ad rationem ſacrificiorum eſt excogitatum, ut enim victima a ſacerdote jugularetur, neceſſarium non erat, poterat illam mactare etiam is, qui ſacrificium adducebat, MAIMONIDES *de ration. adeund. templ. C. IX.* §. *6*. Leproſum avem hanc mactaſſe, a probabili abludit ratione, quoniam adhuc impurus cenſebatur. Nec tamen rationem video, quare ſacerdos alius, a ſacerdote præcipiente diſtinctus, ſit concipiendus. Præcipiebat ſacerdos, ut ad purgationem neceſſaria adducerentur, ſed is ipſe ſimul avem jugulabat ac integram luſtrationem peragebat vſ. 4. 5. Idem liquet ex purgatione domus lepra affectæ, ubi nullum veſtigium alterius cujusdam ſacerdotis comparet vſ. 49. ſeqq. Mactabatur autem ex his duabus avibus, ſi diſſimiles ſibi eſſent, optima, R. LEVI BARZEL. apud J. H. HOTTINGERVM *de Jure Hebr. l. c.* Mactatio fiebat cultro, minime vero avis, quod alias in ſacrificiis avium ſollemne erat, unguesecabatur. Vox enim שחט, quæ hic reperitur, denotat *mactationem*, *jugulationem*, quæ fit cultro acutiſſimo, per jugulum animalis ducto & reducto, vid. J. BVXTORFIVS *in lex.* In quo ſignificatu etiam occurrit *Lev. I. 15. III. 2.* id quod etiam docetur in *Thorat Cohanim* שחוטה ולא מלוקה *mactata & non unguesecta*. Mactabatur אל כלי חרש *ſuper vas teſtaceum.*

ceum. Particula אל, quod ABEN ESRA bene notavit, ponitur pro על, uti etiam *1. Sam. XVI. 23. XVIII. 10. 1. Reg. VIII. 29. 52.* aliisque in locis, quo ſenſu etiam reddunt interpretes Græcus & Chaldæus. Vas, quod nominat hic Moſes כלי חרש, appellatur in *Thoſeph. Jom Tobh* מזרק *pelvis*, vas excipiendo ſanguini deſtinatum. In *Negaim C. XIV.* §. *1.* habemus פיילי, de qua voce, quæ eſt ex Græco φιαλη, conferri meretur WAGENSEILIVS ad *Sota p. 355. 356.* Cum autem crateres, quos ad victimarum ſanguinem excipiendum paraverat Moſes, ex ære confecti eſſent *Exod. XXVII. 3.* (quemadmodum omnia vaſa templi ex argento aut alio metallo erant MAIMON. de *ad p. templ. c. 1. §. 13. 14.*); ita e contrario vas hoc debebat eſſe חרש *teſtaceum*, σκευος ὀστρακινον, uti *Alexandrinus* habet, מאן רחסף *vas ex argilla* vel *luto* confectum, uti Chaldæus vertit. Quare autem iſtiusmodi vas fuerit adhibitum, hoc ipſo hominem admonitum cenſet ABARBANEL, *ipſum vaſis inſtar fragilis eſſe in manu Dei figuli, comment. in leg. p. 198. edit. Han.* Hujus generis vas pariter adhibebatur in exploratione uxoris adulterii ſuſpectæ *Num. V. 17. Sota. c. II. §. 2.* Fictile vas, vilioris pretii ac facile parabile præſcripſit Deus, quo, cum ritu hoc peracto frangendum eſſet, damnum æquiori animo ferri poſſet. De vaſe hoc ex traditione ſe accepiſſe perhibent Talmudici, recens omnino fuiſſe, adeo ut nulli rei ante id tempus adhibitum fuerit, nec nigredinem aliquam ex vetuſtate contraxerit, *Gemar. Sota fol. 15.* Addam verba MAIMONIDIS, qui omnem omnino uſum, etiam minimum excludit, שלא נעשה בה מלאכה כלל ואפילו בדבר מועט, *vas, quod ad nullam omnino rem, ne minimam quidem, adhibitum fuit, hilch. Sota c. III. §. 9. apud* WAGENSEILIVM *c. l. p. 356.*

 Vas

Vas hoc inserviebat excipiendo sanguini avis mactatæ, prius autem in illud aqua immittebatur, cujus quantitatem definiunt per רביעית *quartarium, logi sc. Neg. c. XIV. §. 1.* ad quem locum vid. JOM TOBH & BARTENORA. Quare vero non plus, non minus aquæ insumtum fuerit, illius rei rationem hanc dant, שדם הצפור ניכר בהן *ut sanguis avis cognoscatur in ea* sc. aqua, BARTENORA ad *Negaim c. XIV. §. 1.* Aqua debebat esset *viva. Chaldæus* vertit מי מבוע *aquam fontis*, vel potius *ex fonte ebullientem*, & Judæorum magistri מים חיים explicant per *aquas ex loco scaturientes & perpetuo fluentes*, ita ABEN ESRA ad *Lev. XIV. 5.* לקוחים ממקום נובע *acceptas ex loco scaturiente*, & MAIMONIDES in פרה אדומה *c. XVI. §. 1.* præcipit, sumendas esse מן המעינות הנובעין או מן הנהלות המושכין *ex fontibus scaturientibus, aut ex fluviis se provolventibus*, conf. BARTENORA ad *Neg. c. XIV. §. 1.* Excluduntur ergo omnes aquæ *tepidæ*, *salsæ*, *lutosæ*, vel quæ ulli *usui* ante destinatæ erant. Ita enim in Siphra scribitur: מים חיים ולא מים מלוחין ולא מים פושרין ולא מים מכזבים ולא מים מטנפים, *aquæ vivæ, & non aquæ salsæ, nec aquæ tepidæ, nec aquæ exarescentes, nec aquæ polluentes.* Quæ avis ubi mactata, omnisque sanguis ipsius in subjectum vas expressus fuisset, quoad in aqua cognosceretur, sepeliebatur, juxta illud, quod dicitur in *Neg. l. c.* הפר וקוברה בפניו *foveam fecit & sepelivit in conspectu ipsius*, leprosi sc., rationem addit BARTENORA: *ne quis inde utilitatem caperet*, vel, *quod in Thosephot Jom Tobh* dicitur, *comederet.* Aves enim leprosi usu interdictæ erant, quare ex *cod. Kidduschin R. Jom Tobh* hæc adducit verba שיקברנו בפניו מפני החשד שלא יחשדנו שיאכלהו *sepelivit illam coram eo, ne quis suspicaretur, ac si illam comedisset.*

§. VI.

§. VI.

Sequitur altera avis, *viva* ſc. adhuc & in adſperſionis uſum retenta. Hujus autem alæ & cauda adſpergillo §. IV. deſcripto circumponebantur; ita tamen ut non una cum reliquis ſpeciebus ope lanæ coccineæ ligno cedrino alligaretur, ſed iis jam colligatis ſuper imponeretur, & ſic una cum ipſis aquæ & ſanguini, vaſi infuſis, immergeretur. Intinctionem & adſperſionem hanc alis tantum & cauda avis vivæ, non hyſſopo factam fuiſſe, acriter contendit cel. DASSOVIVS, aliterque ſentientes refellit *diſſ. II. de emph. voc. ſacr. commat. I.* §. 5. *p.* 6. & *de luſtratione Ebr.* §. 23. *p.* 15. Sed dubius hæreo, num illa ſententia locum ſuum tueri poſſit. Nam (1) ex lege Moſis clare apparet, non avem ſolum, verum etiam hyſſopum intinctas, iisdemque leproſum conſperſum fuiſſe. Poſtquam enim memoraverat *avem vivam, lignum cedrinum, lanam coccineam* & *hyſſopum*, de illis conjunctim ſumtis pronuntiat וטבל אותם *& intinxit illa*; ne quis autem exiſtimet, avem vivam exemtam fuiſſe, addit ואת הצפר החיה בדם *quin etiam avem vivam in ſanguinem* &c. Hæc ipſa etiam eſt mens doctorum Judaicorum, ita enim BARTENORA ad *Neg. c. XIV.* §. *1.* וטובל כולן ביחד בדם ובמים שבכלי חרס *& intinxit omnia illa ſimul in ſanguinem & aquam, quæ in vaſe fictili* adſervabatur, in eundem modum ſcribit R. *Jom Tobh.* Omnem dubitandi anſam adimit R. LEVI BARZELONITA וטובל ארבעתן במים שבכלי ובדם שעליהן *& intinxit quatuor illa* (ante memorata) *in aquam, quæ in vaſe erat, & ſanguinem, qui immiſſus erat*, apud HOTTINGERVM *p.* 251. (2) Si in aliis purgationibus adſperſio facta fuit per hyſſopum, ratio eſt nulla, quare illius uſus in hac excludendus.

dus. Conveniunt interpretes Chriſtiani, ex quibus nominamus OSIANDRVM, qui verba *Lev. XIV. 6.* ita convertit: *alium autem vivum* (paſſerem) *una cum ligno cedrino & cocco*, i. e. filo coccineo & *hyſſopo tinget in ſanguinem paſſeris immolati.* Quot vicibus immerſio ipſa facta ſit, non aperte conſtat, ſeptem tamen vicibus, quot vicibus nempe fiebat ad ſperſio, factum fuiſſe admodum videtur probabile. Adſpergebatur autem leproſus ſeptem iteratis vicibus, in ſignum perfectæ mundationis, uti ſcribit ABARBANEL in פירוש התורה *fol. 199. col. 1.* Quænam pars leproſi fuerit aſpergenda, non ita accurate definiri poreſt, cum S. Codex illam non expreſſe commemoret. Ebræorum doctores in ea definienda inter ſe diſſentiunt, aliis pro exteriori manus parte, aliis pro fronte pugnantibus. Sic ſcribitur in *Negaim c. XIV. §. 1.* והזה שבע פעמים לאחר ידו של מצורע ויש אומרים על מצחו & *adſperſit ſepties exteriorem partem manus leproſi, ſunt qui dicunt frontem ejus.* Verum eſt, legem nullam partem corporis adſpergendam ſpeciatim determinaſſe, ſententia tamen magiſtrorum ratione non deſtituitur. Circa adſperſionem notant, (1) debuiſſe ſacerdotem operam dare, ut illam partem tingeret, quam tingere intendebat, (2) ut illam corporis partem adſpergeret, quæ veſtibus denudata erat, conf. DASSOV. *de luſtrat. Ebr. §. 10. p. 7.* Vnde conſequitur, illam vel in fronte, vel in manu fieri debuiſſe. Si adſperſionem verſus univerſum hominis corpus inſtituiſſet, evenire potuiſſet facile, ut veſtes fuerint conſperſæ. Equidem BARTENORA non diffitetur, eſſe ex doctoribus Talmudicis, qui nullum certum locum intentum fuiſſe, adfirmarint, ſed addit, ſententiam illam in uſum traductam

ctam

ctam non fuisse, ויש אומלים על עצמו ואין הלכה כיש אומלים.
Cumque tota hæc lustratio symbolica esset & typica, ad imitationem verborum Christi dicere possumus, qui adspergendus, non opus habebat, quam ut adspergeretur vel frons vel manus, sed purus est totus *Jo. XIII. 10.*

§. VII.

Adspersione peracta, avis viva dimittebatur. Terminus, ad quem projiciebatur, exprimitur vs. 6. quando dicitur *versus agrum*: quem & omnes fere Judæorum magistri verum agnoscunt, ita differentes in *Negaim c. XIV.* §. 2. בא לו לשלח את הצפור החיה אינו הופך פניו לא לים ולא לעיר ולא למדבר שנ׳ ושלח את הצפור החיה מחוץ לעיר אל פני השדה *deinde se convertit ad avem dimittendam; sed non vertit faciem suam ad mare, neque ad urbem, neque ad desertum, sicuti Lex dicit: & dimittet avem vivam extra urbem in superficiem agri*, conf. MAIMONIDES in הטומאת צרעת *c. XI.* §. 1. Aliter tamen sentiunt R. LEVI BARZELONITA apud HOTTINGERVM *c. l.* & qui eum sequitur LVNDIVS *de Sacerdotio Levit. L. III. C. LI. p. 675.* qui avem non agrum, sed desertum versus projectam perhibent. Sed hæc sententia nullis nititur fundamentis, & tum ex Sacra Scriptura, tum Rabbinorum testimoniis quam facillime refelli potest. Tandem quæritur: num avis hæc, semel in mundationis usum adhibita, si redierit, secunda vice adhiberi potuerit? Hic quæstio non est: numne avis dimissa, si statim, præsente adhuc sacerdote, redierit, iterum ad purgandum leprosum adhiberi potuerit, hoc enim ex Judæorum traditionibus fieri minime poterat, ita enim in *Negaim c. XIV.* §. 2. *Si miserit eam* (avem) *& redierit, denuo dimittat eam, etiamsi*

centies. Sed quæritur, numne ea, si post aliquod temporis intervallum redierit, denuo uti licuerit? Id quod ipsi affirmant, dicentes: צפור המשתלחת מותר לטהר בה מצורעים אחרים מאחר שנשתלחה ומותרת באכילה, *avem dimissam* quod attinet, *illa etiam ad alios purgandos adhiberi jure poterat. Licebat quoque illam comedere.* Nec video, quid cum ratione adversus traditionem hanc proferri possit, cum enim impedire minime possent, quo minus ejusmodi avis aliis suæ speciei avibus se iterum immisceret & denuo caperetur, facile fieri potuit, ut post aliquod temporis intervallum rediret, & cum ab ipsis non agnosceretur, vel comederetur, vel ad aliam purgationem adhiberetur.

§. VIII.

Restat demum *Finis* sive *pronutiatio purgationis*, de qua vs. 7. quæ absque dubio ab eodem facta est sacerdote, a quo leprosus antea immundus declaratus fuerat, ita R. LEVI BARZEL. apud HOTTINGERVM *l. c.* ואותו כהן שטמאו מצוה לטהרו או לטמאו, *idem autem sacerdos, qui pollutum eum pronunciavit, lege tenetur eundem iterum vel pollutum vel purum declarare.* Integer hic ritus eo erat comparatus, ut leprosus, postquam signa morbi imminuti, vel prorsus profligati apparebant, purus declararetur. Vbi ille castris exclusus, tempus constitutum in loco solitario egerat, sacerdos ad illum exivit, coram quo pollutus lepra adductus, quem ubi sanitati proximum animadvertit, illas res apportari jussit, quæ ritui huic lustrali necessariæ judicabantur. Et hoc est, quod vs. 4. dicitur: *& præcepit sacerdos & sumsit* למטהר *in gratiam* sive *emolumentum* leprosi purgandi, ל enim haud

raro

raro denotat caussam, ob quam aliquis ad agendum incitatur, adeo ut vel ipsi, vel alii in emolumentum vergat, vid. *Gen. XLV. 5. Num. XVIII. 8. Ps. CIV. 21.* Licet autem vivum aliquid, avis sc. mactaretur, ejusque sanguine purgatio leprosi procuraretur, non tamen rationem *sacrificii piacularis* habuit, quod R. LEVI BEN GERSOM existimavit; quam sententiam merito rejicit ABARBANEL, quoniam avis mactata alias comburi, non sepeliri debuerit, comm. in leg. *p. 199. col. 1.* Respicit sacrificia *piacularia*, quorum corpora integra extra castra comburenda erant *Lev. IV.* sed in horum ordinem avis hæc mactanda referri non potest, quia sanguis illius nec delatus ad altare, nec corpus ipsius igne est absumtum. Licet igitur mactatio illa avis sacrificii nomine venire non possit, nihilo tamen minus ritus hic ex consilio divino destinatus erat, ut per illum pollutio ex lepra, sicque peccatum ipsum, cujus ergo lepra inflicta erat, typice expiaretur: nam *fere omnia per sanguinem purgantur secundum legem*, καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις *Ebr. IX. 22.* Sed dicat aliquis, per adspersionem sanguinis, aqua diluti, puritas leproso conciliata non est, quia ipse aliud adhuc septiduum exspectare ac victimas in sui purgationem offerre debebat, quibus factis, demum purus habebatur *Lev. XIV. 20. 31. 32.* Respondeo: Deum in leprosi mundatione *per gradus* procedere voluisse, quo de gravitate peccati, ejusque fœditate admoneretur, & distinguendum esse, inter purgationem *inchoatam & consummatam.* *Ex parte* purus habebatur, statim ac adspersio per sanguinem avis vivæ facta erat, vestimenta sua laverat, pilos corporis abraserat, totumque corpus abluerat vs. 7, 8. *ex toto* talis non censebatur, nisi

nisi iterata vice die octavo lotionem pilorumque omnium abrasionem suscepisset ac imperata sacrificia attulisset. ABARBANEL hominem duplicem pollutionem incurrisse, non sine ratione observat, quarum altera faciebat, ut a populo suo segregaretur, altera ipsum indignum reddebat, quo minus ad tabernaculum, communem sacrorum sedem, accederet. Prima purgatione peracta, integrum erat ipsi castra ingredi, cum tribulibus suis conversari, neque polluebat quemquam nisi attactu, non autem loca, quibus vel incumbebat, vel insidebat, inquinabat; domo tantum sua abesse, nec ullam cum conjuge consuetudinem habere jubebatur, nec ad habitaculum Dei accedere ipsi permittebatur. Quidquid autem immunditiei ipsi hucusque adhærebat, illud omne lustratione secunda tollebatur, adeo ut reditus ipsi ad Deum in publicis sacris & ad uxorem atque familiam suam postliminio restitueretur, in leg. *p. 198. col. 4. Negaim c. XIV.* §. 2. & ad illum BARTENORA.

§. IX.

Postquam igitur legem de purgatione leprosi, quantum fieri potuit, explanavi, ordo postulat, ut in rationes instituti hujus dedita opera inquiram; cum haud parum juvet, legum divinarum caussas pernosse, quo sic supremi numinis sapientia se animis nostris magis magisque commendet. Rationes autem non omnes, ex eodem profectas fonte, in medium producunt. Sunt qui *morales*, sunt qui *symbolicas*, sunt denique qui *physicas* sibi in hoc instituto invenisse gratulantur. In eo Judæorum doctores ad unum omnes conveniunt, lepram peccati caussa inflictam fuisse homini; quod autem

tem peccatum ſpeciatim tantum malum arceſſiverit, de eo in duas, quantum cognoſcere licuit, partes ſecedunt. Sunt qui plura uno peccato, ſunt qui ſingulare aliquod peccatum allegant. *Septem* illa ſcelera, quæ Deus deteſtatur *Prov. VI. 16-19.* in cauſſa eſſe, ut quis ſæva hac lue contabeſcat, ſententia eſt magiſtrorum, quibus R. MEIER *ſex*, quæ Deus odio habet, addit, *Jalkuth Schim. p. 456. col. 3.* Peccatum *oris* ſive *linguæ* hac ipſa punitum fuiſſe, exiſtimant alii, iique antiquiſſimi Judæorum doctores, ex quibus nominare poſſum autorem libri *Sohar*, *Peſikta*, quorum ſententia exhibetur in *Jalk. Rubeni p. 120. col. 3. 4.* R. Sal. *Jſacidem* itemque *Maimonidem* more Neuoch. *p. 494.* ac *Bechai*, qui hoc addit, ſerpentem illum antiquum primum omnium hac plaga percuſſum fuiſſe, quod mendacium de Deo creatore ſuo, ſparſerit: homini medelam, ſerpenti, diris devoto, paratam eſſe nullam, comm. in leg. *p. 146. col. 1. 2.* Cujus ſententiæ rationes allegat *Bechai*, (1) quia מצורע *leproſus* idem ſit ac מוציא שם רע *qui ſpargit calumniam*, ſive *obtrectationem profert.* (2) Quia *Eccl. V. 4.* dicitur אל תתן את פיך להחטיא את בשרך *ne permittas ori tuo, ut pœnam* (lepræ) *inducat carni*, corpori tuo. (3) Adducit exempla Mirjami, Gehaſi, aliorum, qui linguæ ſuæ præcipitantia malum hoc ſibi arceſſiverint. Qui igitur peccatum linguæ morbi hujus cauſſam fuiſſe aſſeverant, illi fere ad rationes *morales* ſe recipiunt. Quas quoniam R. ISAACVS KARO in *Toledhot Iſaac* conjunctim exhibet, illas in breve miſſas compendium hic adducam. Peccatorum linguæ ex mente ipſius tria ſunt genera, (1) לשון הרע *Maledicentia* (ſimplex), (2) רכילות *Delatio*, (3) מוציא דבה *Calumnia.* Ea de cauſſa juſſit Deus offerri duas aves, unam pro calumnia, alteram pro maledicentia, coccum vero

vermiculi pro delatione; ratio est, quia delator ad instar vermiculi carnem hominis comedit. Quod vero Deus unam avem mactari præceperit, eo indicare voluisse, purificandam concupiscentiam & linguam malam jugulandam ac mactandam esse. Quia vero calumniatoris anima dæmonibus permittenda, idcirco altera avis dimitti jubetur על פני השדה *in superficiem agri*, quod veteres Rabbini explicant: *dæmonibus, qui volant in agris*, sive aëre. At enim quia de calumniatore non plane actum erat, modo pœnitentiam ipse ageret, avis illa ante in sanguinem avis alterius mactatæ demergenda erat, quo sic admoneretur calumniator, licere ipsi adhuc a calumnia resipiscere, quando sc. eam mactaret. Coccus ver-vermiculi, qui delatorem adumbrabat, significavit שחטאיו אדומים ונכתמים לפני הקב״ה *peccata ipsius rubra esse & insignita coram Deo*, juxta *Es. I. 18.* Cedrum, quæ arborum maxima, & hyssopum, quæ minima omnium Deum adhiberi voluisse, quo sic indicaretur: fere majoribus minores detrahere. Plura habet de MVIS Var. Sacr. *p. 68.*

§. X.

Symbolicas rationes qui sectantur, illi mali hujus caussam repetunt, partim a *superbia* & *animi elatione*, partim a *linguæ maledicentia.* Horum sententiam exponit R. LEVI BARZELONITA *apud Hottingerum p. 249.* Symbolis illis animo leprosi hoc ingestum fuisse, ut, si antequam in morbum illum incidit, elato fuerit animo, instar *cedri*, arboris excelsæ, se ipsum instar *hyssopi* humiliet. *Passeribus* innui, quod fecerit opus *blateronis*, offerendos proinde passeres esse, qui semper pipiant. Quo *coccineum dibaphum* referant, nullam certam rationem se adduce-

ducere posse fatetur, fieri autem posse, ut & hoc illi *humiliationem* sui commendet: quod si ita sit, in nomine תולעת *Vermis* ejus rei esse indicium. *Aqua* autem, qua quilibet immundus purgatur, moneri hominem, ut semet ipsum, post ablutionem intueatur, quasi ea ipsa hora creatum, quia mundus ante creationem totus fuerit *aqua*. Mente igitur sua per similitudinem concipere, ut, quemadmodum renovatus est in corpore suo, renovet etiam omnes suas operationes in bonum, factaque sua rectificet, & vias Dei attente observet. Propterea etiam dicere Rabbinos, non legitimum esse καθαρισμὸν factum aqua, quæ *in vase asservetur*, sed *viva* tantum, aut congregata in fundo, non autem in vase, ut sic animo suo cogitet, se, mundi instar, totum esse aquam, & quod restauratus sit, ascendendo ex ea. Quod si aqua fuerit in vase, aut tantum in transitu attigerit illud, tam aptam analogiam lavanti non suppeditasse. Quæ de symbolica ritus huius significatione sequuntur, apud ipsum BARZELONITAM videri possunt. Symbolicas pariter rationes sectatur ABARBANEL, diversam tamen ab aliis viam ingrediens. Quatuor illas res, quæ vel ad *lustrationem* ipsam, vel illius *applicationem* faciebant quatuor malis, quæ cum lepra fuerint conjuncta, oppositas fuisse adseverat. Mala hæc nominat, (1) in carne, lepra affecta, nullum amplius fuisse sensum, (2) corruptionem humorum, & malignitatem temperiei sanguinis, (3) pallorem vultus, (4) fœtorem ob humorum corruptionem. Adduxisse itaque duas *aves vivas*, ut ostenderet: (α) se vitæ ac sensui restitutum esse, (β) *cedrum*, corruptioni non æque obnoxiam, quo testaretur, humorum corruptionem sublatam esse, (γ) *ligulam coccineam*, quo demonstraret,

 san-

ſanguinem ſanitati reſtitutum, & rubrum illius colorem rediiſſe, (δ) hyſſopum, quo declararet a fœtore ſe immunem eſſe. Porro, quod avium altera *mactata*, altera *libera dimiſſa* fuerit, hoc ipſum indicio fuiſſe, quod ſi ex hominibus morbo laborantibus, alius morti ſuccumbat, alius cum valetudine in gratiam redeat, id ex conſilio divino unice proficiſci. Quod ſanguis mactatæ avis immiſſus fuerit in *vas teſtaceum*, illud docuiſſe, hominem in manibus Dei formantis inſtar *argillæ* eſſe. *Mactationem* avis ſuper *aquam vivam*, ſignificaſſe *legem in corde hominis*, ob illam enim non ſervatam avem mactari debuiſſe. Quod autem avis una cum reliquis rebus intincta fuerit in ſanguinem, id argumento fuiſſe, lepram non eſſe morbum contagioſum ex ſe & natura ſua, ſed illam voluntate Dei homini peccatori immitti. Adſperſionem *ſepties* factam fuiſſe, quoniam juſtus ſepties cadat & reſurgat. Avem vivam *liberam dimiſſam*, quo denotaretur, leproſum non amplius *ſecludendum* eſſe, ſed pro lubitu ſuo ire poſſe, quocunque velit, *in leg. p. 198. col. 4. & p. 199. col. 1.* Ex Judæo Hiſpano alias affert rationes *Jenkin*: *Thomaſius* diſſ. *de lepra Græc. & Judæor. p. 494. 495.* quæ eo tendunt, hominem per res, in mundatione leproſi adhibitas, tanquam certa quædam ſigna ad reſipiſcentiam permotum fuiſſe.

§. XI.

Superſunt rationes *phyſicæ*, res ſcilicet ad purgationem leproſi, juxta legem præſcriptas, ex ſe & natura ſua ad ſanitatem reſtituendam, quidquam contuliſſe. In hanc ſententiam ex Judæis qui ingreſſus fuerit, neminem novi. Ex Chriſtianis nonnulli ſunt, qui rebus illis aliquid virium ad purgationem leproſi tribuerunt.

Illuſtr.

Illustr. GROTIVS hyssopum adhibitam vult, quoniam ex sententia Ægyptiorum *vi purgatrice* polluerit. Idem existimat erudit. SPENCERVS, *lignum cedrinum* ob vim purgandi, *hyssopum*, quod ad purgationem plurimum valeat, *lanam*, quod abstergendis corporis sordibus apta, & *aquam* adhibitam fuisse, quod ex communi inter homines usu spurcitiem ac sordes corporis eluat, *de leg. Ebr. ritual. lib. II. c. XV. p. 356. 357.* SPENCERVS CLERICVM ὁμοψηφον habet, qui praeterea ex illius hypothesi addit, similem forsitan ritum in Ægytiorum lustrationibus obtinuisse, cujus ratio reddi posset, siquidem primorum institutorum opinio ac mens perspecta esset; multum tamen natura sua purgationem promovisse adseverat. Lignum cedrinum cum hyssopo in morbis cutis curandis, (cui ipsi vim purgandi adscripserint Ægyptii) coccum nervis, ubi laesi fuerint, plurimum profuisse, cutique meliorem colorem conciliasse, ex DIOSCORIDE observat ad *Lev. XIV.*

§. XII.

Quod rationes illas attinet, negare non ausim, *morales* subfuisse. Pollutiones crebrae, quibus ex facili inficiebantur olim Judaei, testabantur de peccati regno, quod mortales omnes oppresserat, cujus vis per justitiam promissi sospitatoris nondum actu infracta erat. Voluit igitur Deus, qui qua αὐτοκρατωρ Reip. Judaicae externam civium suorum puritatem desiderabat, & qua sanctissimo foedere ipsis junctus, internam animi sanctitatem requirebat, tetra hac lue foeditatem peccati ob animos ipsis ponere, quo lege hac tanquam παιδαγωγω ad Christum ducerentur *Gal. III. 24.* ejus gratiam ardentibus votis ac animis anhelarent, aque peccatis sibi

quam diligentissime caverent. Pœnitentiam ipsis per lepram inculcatam fuisse, bene quidem monent. Sed quando, Pharisaico corrupti fermento, illam in sua potestate positam autumarunt, externa quadam mutatione absolvi crediderunt, eandemque non tam *mediam*, quam *causam principem* reconciliationis suæ cum Deo reputarunt, a divinæ mentis consilio quam longissime discesserunt. In rationibus *symbolicis* sunt aliquæ, quæ ingenium sapiunt, sed rem omnem non exhauriunt. In lepra considerari meretur tum *internus animi morbus*, tum *externa corporis* adfectio, ille caussa, hæc effectus. Potuit igitur Deus per ritus illos externos ipsis aliquid symbolice repræsentasse de morbo suo ejusdemque sanatione, potissimum vero ipsos manu quasi ducere voluit ad illum, qui tanquam animarum medicus *Ex. XV. 26.* morbos ipsorum ablaturus *Jes. LIII. 4. Ps. CIII. 3.* vitamque restituturus esset. Si quæ *naturales* vires fuerunt rebus illis, quibus Deus purgationem parari voluit, fuerunt tamen illæ exiles admodum, nec aptæ, quæ pertinacem adeo morbum expugnare possent. Vti Deus plagam hanc peccatorum ergo immisit *Num. XII. 14. 15. 2. Reg. V. 7. 2. Chron. XXVI. 20.* ita etiam sibi soli sanationem hujus luis servavit. Non ad medicum mittebantur, sed secludebantur, sacerdotibusque in mandatis dabatur, ut ad signa morbi dedita opera attenderent. Quare bene admodum pronuntiat R. MENAHEM REKANATENSIS: *lepra est digitus Dei, ideoque non curanda ullis medicamentis, nisi manu sacerdotis, qui facit reconciliationem, quia per misericordiam reconciliatio fit pro iniquitate.* Et si quidem res hæ, si non omnem, aliquam saltim medelam malo huic attulissent, statim a principio adhibitæ fuissent; sed tum demum lustratio ex illis instituta,

tuta, ubi certiſſima ſigna imminuti morbi apparuerunt. Vſui autem, in quem dirigebantur, admodum conveniebant. Cedrino baculo firmiori hyſſopus fulciebatur, quo hac ipſa, utpote teneriore, adſperſio fieri poſſet. *Hyſſopus habet folia parva, frequentia & tenera, eaque leviter villoſa, quæ in aquam aut ſanguinem immerſa, humorem ſtatim imbibunt, & eundem excuſſa facile emittunt, adeoque ad adſperſionis uſum a natura pene facta & conſecrata*, ſunt verba magni BOCHARTI *hieroz. P. I. L. II. C. L.* quæ ex ipſo, tacito tamen illius nomine, repetit SPENCERVS de *leg. Ebr. ritual. L. II. C. XV. Sect. IV. p. 358.* Colligabantur cedrinus baculus & hyſſopus filo coccineo, quo ſic eo melius illi fini inſervire poſſent, cui deſtinata erant. Hanc igitur relationem res hæ ad ſe invicem & ad morbum externum habuerunt, quam vero præterea habuerint ad morbum *internum*, quarumque rerum ſymbola, ratione habita ſpiritualis immunditiei, exſtiterint, de eo CAP. II. agemus. Forte etiam, quod magiſtri notant, adſperſio facta in *fronte* §. VI. quoniam in vultu, quod medici obſervant, (conf. JENKIN. THOMAS. *diſſ. de lepra Græc. & Ebræor. p. 477.*) ſe illius vis maxime prodidit, unde etiam de Vſſia commemorat ſacer ſcriptor: והנה הוא מצרע במצחו *& ecce ipſe lepra percuſſus erat in fronte ſua 2. Chron. XXVI. 20.*

CAPVT II.

DE

SENSV MYSTICO LEGIS DE PVRGATIONE LEPROSI.

ARGVMENTVM.

§. I. *Refutatur ſententia Cl.* CLERICI, *qui rationes myſticas lepræ ac purgationis ab illa, commenti loco habet, fundamenta item ſigni-*

significationis typicæ proponuntur.

§. II. *Lepram esse symbolum hominis naturaliter quidem viventis, sed manifestissima mortis spiritualis signa præ se ferentis; inde purgationem per aves præsignificasse Christum, propter peccata nostra mortuum, & ob justitiam nostram in vitam revocatum.*

§. III. *Convenientia typica (I) inter duas aves & Christum pro peccatis nostris mactatum, indeque vitæ redditum demonstratur.*

§. IV. *(II) Adspersio facta ope adspergilli componitur cum applicatione justitiæ Christi, qua vel gravissimi peccatores a morte spirituali vindicantur, in iisdemque vita, quæ ex Deo est, restituitur.*

§. I.

QVando igitur ex iis, quæ proxime sup. Cap. disputaui, abunde apparet, lepram fuisse morbum a Deo peccati caussa immissum, eundemque non humana ope, non manu medica, non beneficio rerum illarum, quibus purgatio peragebatur, sanatum, prono alveo sequitur, totam leprosi sanationem symbolicam, resque ad illam obtinendam destinatas, sublimiorum rerum typos atque adumbrationes exstitisse. Sed ne idem mihi occinatur, quod CLERICVS ad BOCHARTI significationes mysticas, quas ritui huic lustrali subjecit, regessit: *hæc majore ingenio, quam ratione viri docti comminiscuntur, tacente Mose*, ad *Lev. XIV. 4.* comment. *p. 260.* oportet solida fundamenta demonstrationi typicæ substernere. De lege generatim pronuntiat Paulus, σκιαν ἐχειν των μελλοντων ἀγαθων *Ebr. X. 1. coll. Col. II. 17.* in illa esse ὑποδειγματα των ἐπουρανιων, *Ebr. VIII. 5. IX. 23.* Qui igitur omnes demonstrationes mysticas incertitudinis ac commenti insimulant, minus caste ac reverenter de sapientia Dei loquuntur. Vellent illi, genti Israëliticæ stupidæ,

dæ, aque omni ſapientia deſertæ, leges ex Ægypto, ſi-ceſſitas, præſcriptas, quibus nulla mens, nec ratio intra ne per legum ritualium umbras promiſſiones meliorum bonorum ipſis factas eſſe, adgnoſcere cogantur. Ut Moſes rationem myſticam adjiceret, neceſſum non erat, ſufficit, lepram ita deſcribi, talemque natura ſua fuiſſe, ut ſpiritualis rei effigies eſſe poſſit: cui ſi accedat teſtimonium aliorum ſacrorum ſcriptorum, lepram ejusdemque ſanationem tanquam indicium ac delineationem rei cujusdam ſublimioris reſpiciendam eſſe, & accurata convenientia inter morbum hunc & rem ſpiritualem indicetur, non video, quid in hoc demonſtrationum genere præterea poſtulari queat. Perpendat igitur quis velim, (1) leproſum impurum habitum non eſſe ante, quam talis a ſacerdote fuit declaratus, lepræ, ſi quidem ſupervenerit ſponſo, durantibus epulis nuptialibus, vel, cum feſti dies, qui ſeptem dierum circulo circumſcribebantur, hominem invaſerit, rationem habitam eſſe nullam, propter lepram non profanorum deorum cultorem, ſed Iſraëlitam impurum reputatum eſſe, lepram, per omnem corporis ſuperficiem prorumpentem, imminentis munditiei ſignum habitam fuiſſe; ne quid dicam de rebus vita ac ſenſu deſtitutis, lepræ ſordibus haud raro inquinatis, quod ſolide demonſtratum dedit doctiſſimus OVSELIVS diſſ. *de lepra cutis Ebræorum* §. 23. *p.* 46-49. vnde hoc conficio, lepram non tam *phyſicam*, quam *moralem* impuritatem intuliſſe. (2) Lepram fuiſſe ſymbolum peccati. Liquet hoc ex *Pſ. LI, 9.* David enim homicidio ac adulterio pollutus, ubi petit *expiationem peccati ope hyſſopi*, ſatis innuit, peccatum ſe lepræ inſtar infeciſſe. Equidem me non fugit, *interpre-*

tem Chaldæum in ea esse sententia, hic ad adspersionem, factam cinere juvencæ rufæ respici, quam ipsam etiam sententiam acriter defendit cel. DASSOVIVS diss. *de lustratione Ebræorum* §. *17. 18. p. 11-13.* & de *Emphas. voc. sacr. II.* §. *5. p. 6.* sed nullus fere dubito, quin simul in adspersionem leprosi digitus intendatur, quæ ipsa etiam est mens R. SALOM. ISACIDIS. Nolim quidem cum Judæis dicere, ipsum Davidem *externa lepra* propter peccatum laborasse, quod probare volunt ex vs. 10. עצמות דכית *ossa contrivisti*, quia lepra non tam ossa carne vestita adficiebat, quam externam cutis superficiem occupabat. Certius nobis nascitur argumentum ex vs. 18. 19. ubi David canit, non delectari Deum זֶבַח *sacrificio*, (piaculari sc.) neque *holocausto*, sed *spiritu fracto* atque *contrito*. Substituitur igitur hic sacrificium spirituale sacrificio alicui externo, in quo mactatio pecudis obtinebat, per quam typica peccati expiatio procurabatur. Jam vero mactatio pecudis non imperatur *polluto ex contactu mortui Num. XIX.* sed *leproso Levit. XIV. 12. seqq.* Nuditatem, quam Deus interminatur filiabus Zionis *Jes. III.* 17. in *Pesikta* Judæorum doctores explicant de *lepra*, *Jalkut Rubeni p. 120. col. 1.* Sed illos nihil moror. Meliori jure huc referri potest querela Judæorum ultimi temporis: ונהי כטמא כלנו *& sumus instar impuri nos omnes Jes. LXIV. 5.* leprosus quippe labia obvelare ac *impurus*, *impurus* proclamare jubebatur *Lev. XIII. 45.* Et sunt certe Judæi hodierno die, ob pervicaciam suam ac errores inveteratos in statu lepræ spiritualis, manifestissima signa spiritualis mortis præ se ferentes. Cum igitur lepra symbolum peccati haberetur, leprosus peccator, & quidem gravissimus, est judicatus; quare cum leprosus,

victimas pro purgatione ſua petiturus, ſigillorum præfectum adiret, teſſeram illi dedit, cum hac epigraphe חוטא *peccator*, MAIMONID. de *apparatu templi C. VII. §. XII.* Sumitur autem vox חוטא, uti etiam græca *αμαρτωλος* aliquando in emphaſi pro homine peccatis, præ aliis, inſigni. Eſſe autem lepram ſymbolum peccati, ipſi adgnoſcunt Judæi, ita enim REKANATENSIS ſcribit: *veram rationem præcepti* (de lepra) *nemo intelligit, niſi qui novit vires immunditiei, effuſas ab antiquo ſerpente.* Qua ratione autem lepra ſymbolum peccati haberi queat, docet ALTINGIVS ad *Levit. XIII. T. I p. 79. 80.* (3) Meſſiæ juſtitiam, ejusdemque ſpiritum eluendis peccatorum ſordibus, deſtinatum eſſe *Ezech. XXXVI. 25. Zach. XIII. 1.* quem utrumque locum priſci Judæi de Meſſia ſunt interpretati, RAIMVNDVS MARTINVS *pug. fidei P. III. diſc. III. C. XIII. pag. 819. 820.* Nec vulgare aliquod myſterium in purgatione leproſi per duas aves latere, adgnoſcit MENAHEM TZIIVNI, componendum ad rationem duorum hircorum expiationi populi Iſraëlitici ſacrorum, ופנימיות הסוד הוא בטעם שעיר המשתלח *interiora arcani hujus* quærenda *in ratione hirci emiſſarii*, JALK. RVBEN. *p. 120. col. 4.* (4) Chriſtum in diebus carnis ſuæ leproſos ſanando *Matth. VIII. 1-4. Marc. I. 40. ſeqq. Luc. V. 12. ſeqq. XVII. 12-19.* demonſtraſſe, ſe verum eſſe Deum. Morbus erat, cui Deus tantum mederi poterat, cumque ipſos ad ſacerdotes tantum ablegavit, ut *dona*, ſacrificia imperata, *offerrent*, omiſſa adſperſione, oſtendit gratiam atque potentiam ſuam ſufficere ad hominem, tum a lepra externa corporis, tum a ſpirituali peccati liberandum. (5) Adſperſiones, quæ ſub veteri obtinuerunt oeconomia, quibusque a pollutionibus mundabantur, adumbrarunt vim ſatisfactionis

nis Christi, per fidem sanctam ac vivam applicandæ *Ebr. IX. 13-21.* Inde justitia Christi a nobis apprehensa, peccata nostra tegens & expungens, dicitur αἷμα ῥαντισμοῦ *Ebr. XII. 24. 1 Petri I. 2.* & quibus beneficium hoc per operationem spiritus obsignatur, ut intimo remissionis peccatorum suorum sensu adficiantur, dicuntur ἐρραντισμένοι τὰς καρδίας *Ebr. X. 22.*

§. II.

Quæ veritates cum a nemine, qui reverentia in oracula divina ducitur, negari possunt, hoc consectarium inde elicio: *per sanationem leprosi, beneficio duarum avium, aliquid in Christo præsignificatum fuisse, quod in liberationem hominis a peccatis, iisque gravissimis, vergat.* Quid vero illud præcise sive ex officiis, sive beneficiis Christi sit, quod per ritum hunc spectetur, illud apparebit, ubi naturam lepræ spiritualis cognitam habebimus, & simul, quæ σχέσις Christi ad illam sit, nobis constabit. Lepram symbolum esse peccati in §. proxime sup paucis est indicatum, nec meum est, convenientiam, quæ inter lepram & peccatum intercedit, ostendere, quod a viris doctis BAVMANNO, ANTONIDE, VITRINGA, LAMPIO, *aliis*, abunde est præstitum. Id tantum dico, lepram esse symbolum *hominis viventis* quidem *secundum principium vitæ naturalis* ac *ductum corruptarum concupiscentiarum*, qui tamen *manifestissima mortis spiritualis signa præfert*, eaque de causa *consociatione Dei & sanctorum est exclusus.* Leprosus, vivus licet, toto corporis sui habitu mortis speciem repræsentabat, quare Moses de Mirjamo dicit: *ne quæso sit mortui instar Num. XII. 12.* & JOSEPHVS affirmat, *leprosum a mortuo non differe*, quod ipsum etiam dicit Autor libri *Cosri* האבר המצורע במת *membrum hominis leprosi est quasi mortuum*, *p. 125.*

125. Igitur spiritualiter designatur *homo naturaliter* quidem *vivus*, sed *spiritualiter mortuus*, qui ζῶν τεθνηκε, ut phrasin Pauli in usum meum convertam 1. *Tim. V. 6.* Ad restitutionem autem hominis ita spiritualiter mortui cum requiratur, ut mors spiritualis destruatur, ac vita, quæ ex Deo est, restauretur, per purgationem ex auibus præsignificatam fuisse *mortem* pariter atque *vitam* Christi, quam ex morte resumsit, quarum altera *mortis potentiam abolevit Ebr. II. 14.* altera vero *vitam atque incorruptibilitatem reduxit 2. Tim. I. 10.* tuto adfirmari potest. Quare nullus omnino adseverare dubito, *avem mactatam* referre Christum, pro peccatis mundi morti succumbentem, *avem vivam* vero, illamque, facta adspersione, liberam dimissam, effigiare Christum ex mortuis redivivum, adque patrem suum in cœlum abeuntem. Mysterium hoc jam dum antiqui Ecclesiæ doctores viderunt, ex quibus cumprimis nominare possum CYRILLUM *Alexandrinum* in *Levit. Opp. T. I. p.* 356. 357. & THEODORETUM *Opp. T. I. p.* 127. 128. *Duo passeres* sunt ipsis *duæ naturæ* in Christo, arctissimo conjunctionis vinculo sociatæ, quarum utraque suum ad redemtionis humanæ opus confert, *lignum cedrinum* CYRILLO est *caro* ipsius *sancta*, corruptioni non obnoxia, THEODORETO *divinitas*, *hyssopus efficacia Spiritus Sancti*, *coccinum conglomeratum incarnationis modus*, *mactatio avis*, *mors Christi*, *dimissio avis vivæ*, *vita*, qua mortem superavit, *adspersio baptismus*.

§. III.

His igitur fundamentis solidis, uti puto, jactis, ad ipsam συγκρισιν πνευματικην ut progrediar, ordinis ratio flagitat. Dixi §. sup. duas illas aves typice effigiasse Christum, eundemque pro peccatis nostris mortuum & pro-

pter justitiam nostram vitæ restitutum. Cum ave sese Christus comparat *Matth. VIII. 20. XXIII. 37. Luc. XIII. 34.* quibus alii addunt locum *Thren. III. 53.* Quodsi enim adspersio denotat imputationem justitiæ Christi §. I. num. 5. aves ipsum Christum tanquam caussam præsignificasse, constat. Et quidem Christus cum ave optime componi potest, (1) ob alacritatem suam, quam in exequendis mandatis patris sui cœlestis demonstravit, (2) ob insidias hostium, qui ipsum ad avis instar sunt insectati, ita ut, laqueos ipsorum positos evitaturus, modo huc, modo illuc fugere fuerit coactus. *Numerus binarius* avium, non tam indicat *duas in Christo naturas*, quod sup. §. ex patribus CYRILLVM & TEODORETVM adseverare demonstravi, quoniam, quatenus ipse est purgatio pro peccatis nostris, ut θεανθρωπος necessario spectari debet, sed significat duplicem Christi statum *exinanitionis* scilicet & *exaltationis*. *Puritas* harum avium symbolum erat *perfectæ sanctitatis* Jesu Christi *Joh. VIII. 46.* qui nullis peccatorum sordibus fuit maculatus *Ebr. VII. 26.* coll. *1. Petr. II. 22.* quæ caussa est, quare αγιασμος noster fieri potuerit *1. Cor. I. 30.* Aves hæ non petebantur ex *vrbe idololatriæ dedita*, sic Christus noster non ex *gentilibus*, sed *Israële* oriundus *Rom. IX. 5.* Avis *mactata* Christum referebat, qui ut justitiæ divinæ faceret satis, nobisque απολυτρωσιν pararet, *percutiendus* erat *Jes. LIII. 5.* ad mactationem adductus v. 7. qua de causa ipse appellatur αρνιον εσφαγμενον απο καταβολης κοσμε *Apoc. XIII. 8.* Mactabatur autem avis illa *extra castra*, sic etiam Christus, *ut sanctificaret populum per proprium sanguinem* εξω της πυλης επαθε *Ebr. XIII. 12.* Sanguis, quem mactata avis emittebat, *manabat in aquam*, quam subjectum vas continebat. Elegans certe emblema

ma obedientiæ Christi tum *activæ*, tum *passivæ*, quam utramque patri suo præstitit, ut perfectam liberationem a peccatis nostris nobis procuraret. Sanguis facit ad obtectionem peccatorum nostrorum, ne illa in conspectum Dei veniant, sicque illo a peccati *reatu* immunes declaramur *Ps. XXXII. 1.* coll. *Rom. IV. 7.* *aqua* ad *purgationem*, qua *sordes* peccatorum nostrorum eluuntur, quod fit per *sanctificationem*, qua peccati macula tollitur, quæ caussa est, quare obedientia Christi aquæ confertur *Joh. III. 5.* coll. *Ezech. XXXVI. 25.* Sanguis cum aqua miscebatur, perpessiones Christi per purissimum ipsius obsequium sanctificabantur, quare Christus dicitur *venisse cum sanguine & aqua 1. Joh. V. 6.* & in illius rei indicium ex latere ejus aperto *fluxit sanguis & aqua Joh. XIX. 34.* Avis mactata non longe a loco, ubi purgatio leprosi instituebatur, *terra obruebatur*: Christus in horto, non multum a cruciatuum loco Golgotha *Joh. XIX. 41.* terræ mandabatur. Avis autem *viva*, quæ manibus constricta tenebatur, in liberum *aërem dimittebatur*: Christus, qui ante tanquam reus in judicio divino detinebatur *Jes. LIII. 8.* posteaquam ad ultimum quadrantem vsque omnia illa solverat, quæ nos debitis nostris contraxeramus, ubi mortis faucibus ac sepulcri claustris fuit expeditus, tandemque cœlestes sedes repetiit, ab omni accusatione immunis est declaratus *Actor. II. 24.* & per sanguinem proprium semel intravit sacrarium cœleste αἰώνιον λύτρωσιν εὑράμενος *Ebr. IX. 12.*

§. IV.

Consideravimus aves, ipsam purgationis materiam ingredientes, repræsentamina mortis atque vitæ Christi, qui qua princeps caussa munditiei nostræ spiritualis *traditus*


ditus est (in mortem) *propter offensas nostras, exsuscitatus in nostri justificationem Rom. IV. 25.* Accedam nunc ad caussam mediam, cujus beneficio sanguis aquæ mixtus in leprosum derivabatur. Illam constituebat adspergillum, cujus antitypon habemus in verbo Evangelii, quod ubi, accedente efficacissima spiritus sancti operatione, in fide accipitur, *cor purificat Act. XV. 9.* Constabat illud *baculo cedrino, hyssopo ac ligula coccinea*, quæ circumligabatur & circumplicabatur. Per *baculum cedrinum* BOCHARTVS intelligit *divinam Christi naturam* incorruptibilem & æternam, per *hyssopum* tanquam minimam fruticum, *naturam humanam*, & quidem quatenus illa cruciatibus ac morti fuit subjecta, cujus figuram sustinuit *coccus*, quæ ipsa etiam est sententia ALTINGII, quam sequitur BIERMANNVS *& alii.* COCCEJVS hic non multum discedit, nisi quod *applicationem*, quæ fit per *verbum Evangelii* simul includat. MOMMA per *cedrum patrem*, per *hyssopum filium*, eumque humilem & spretum, per *coccinum spiritum sanctum* vult intellectum. Sed hæc sententia hoc incommodi habet, quod tum Christus in uno eodemque typo nobis sub eadem relatione, mutato tantum symbolo, obveniret. In negotio purgationis a peccatis & patri & filio & spiritui sancto suæ sunt partes, sed ubi filium pro peccatis nostris patientem & resurgentem tuemur, supponitur, ipsum a patre ad hoc munus destinatum esse, spiritus sanctus per operationem verbi virtutem suam exserit. Igitur per cedrum intelligo verbum Dei, quod, quemadmodum *cedrus cariem vetustatemque non sentit*, uti docet PLINIVS H. N. *L. XVI. C. XL.* conf. SERVIVS ad *Virgil. Aeneid. L. VII. vs. 178.* ita etiam *verbum Dei manet in æternum 1. Petr. I. 25.* est *semen incorruptibile regenerationis*

nis vs. 23. est *potentia Dei ad salutem Rom. I. 16.* per quod, ineluctabili spiritus potentia roboratum, vita spiritualis restituitur. *Hyssopus, eximii odoris herba*, LEV. LEMNIUS *herb. biblic. explic. c. XXVI. p. 59.* refert virtutem verbi divini, quod ubi debito cum pietatis affectu excipitur, est ὀσμὴ ζωῆς εἰς ζωὴν *2. Cor. II. 16. Ligula coccinea*, quæ cedrum & hyssopum constringebat, effigiare potest tum verbi hujus *confirmationem*, tum ejusdem *argumentum*. Uti enim in initiatione fœderis Sinaitici liber legis victimarum sanguine conspergebatur, *Exod. XXIV. 8. Ebr. IX. 19.* ita doctrina Evangelii per mortem Christi cruentam, & martyrum supplicia est firmata, eademque illa complectitur τον λογον τȣ ϛαυρȣ *1. Cor. I. 18.* Sanguinem mactatæ avis sacerdos excipiebat in *vase fictili*, ita fidi verbi divini ministri, qui debent esse *vasa parata in gloriam Domini sui 2. Tim. II. 21.* habent *thesaurum hunc in vasis fictilibus 2. Cor. IV. 7.* Qui ubi ex bono thesauro cordis sui expromunt verbum gratiæ & vitæ, quod ipsi instar *pretiosi depositi servant, 1. Tim. VI. 20. 2. Tim. I. 14.* ejusdem beneficio obedientiam Christi hominum animis insinuant, ut, impetrata per fidem remissione peccatorum, per spiritum regeniti, in sanctitatis studio in dies proficiant *Ebr. IX. 14.* sensu longe excellentiore id præstant, quod sacerdotes V. T. per adspersionem illam sanguinis fecisse lex memorat. Adspersio hæc septies repeti debebat, quemadmodum etiam Naaman Syrus Jordanis aquas septies subire, seque lavare jubebatur *2. Reg. V. 14. numerus septenarius* & in S. S. & apud philosophos gentiles, maxime Pythagoræos, pro perfecto habetur; hac igitur septenaria adspersione *perfecta purgatio a peccatis*, sanguine Christi parata, est præfigurata *Ebr. IX. 12.* Vel hoc ipso spes certa est facta,

 fore,

fore, ut obedientia Chriſti in ſolatium peccatoris per *ſeptem* tempora Eccleſiæ ope verbi divini diſpenſaretur. Vti igitur ex his clare admodum apparet, per hunc adſperſionis ritum delineatam eſſe vim Evangelii, efficaciam obedientiæ Chriſti præferentis peccatoribus graviſſimis, gentilibus, ut, cum *ante alienati eſſent a civitate Iſraelis Eph. II. 12.* jam *adducti ſint ad montem ſanctitatis Dei & lætificentur in domo orationis ejus Jeſ. LVI. 7.* quin imo *partem ſortis ſanctorum in luce accipiant Col. I. 12.* ita ſpeciatim præſignificatus eſt reditus Iſraëlis carnalis ad conſortium Dei & Eccleſiæ. Prouti enim illi graviſſime impegerunt in Jeſum Nazarenum, magnum illum prophetam, proptereaque conſortio Dei & Eccleſiæ ſunt extruſi, & manifeſta lepræ ſpiritualis ſigna oſtentant; ita etiam ſpes eſt, fore, ut ultimis temporibus i. e. ſeptima Eccleſiæ periodo *Jehovam Deum ſuum & Davidem ſuum requirant Hoſ. III. 5.* Sed meditationi huic indulgere, chartæ anguſtia minus permittit, qui Deo ſanctificatori Iſraëlis immortales gratias pro præſtito mihi auxilio perſolvo, cui ſit laus in ſæcula ſæculorum.

F I N I S.



PER-EXIMIO ac DOCTISSIMO

DOMINO RESPONDENTI AVCTORI

S. P. D.

PRÆSES.

C*Vm proxime ſuperiori anno ex academia Marpurgenſi redux, TE,* Vir Juuenis *Præſtantiſſime, Noſtris de nouo adiungeres, inque priuatis noſtris circulis, & reſpondendo, & opponendo doctrinæ, ingenii ac dexteritatis haut vulgaris ſatis luculenta documenta dares, fuit id quidem magnæ mihi voluptati: ſed maiori gaudio ſum perfuſus, vbi ſententiam mihi TVAM de conſcribenda ac ſub præſidio meo defendenda diſſertatione non ita pridem ſignificaſti. Ex argumentis illis, quæ tum temporis in medium proferebas, illud mihi maxime probabatur, quod nunc operarum formis exſcriptum in publicum prodire iubes, vtpote quod ſacratioris diſciplinæ noſtræ medullam attingit, ac per omnem vitæ ſpiritualis ambitum ſe diffundit. Quam ſingularum partium delineationem ac diſpoſitionem, ſuadente me, chartæ*

ille-

illeueras, ſe mihi adeo commendabat, vt de felici laboris ſucceſſu nullus omnino dubitarem. Cumque ſecundum illam οἰκονομιαν, quam iudicio meo ante ſubiiciebas, lucubrationes TVAS poſtea dirigeres, inde ingenium, doctrinam ac ſagacitatem TVAM in argumentis inueniendis, iisdemque apte collocandis perſpicere potui. Quæ paſſim inſperſi, (nam nec illud diffiteor, nec TVA modeſtia probibet) illa ad amplificationem ac illuſtrationem argumentorum TVORVM ſpectant: vt hinc, quidquid huius eſt commentationis, id omne TVÆ induſtriæ, tum ratione partium ſe invicem conſequentium, tum ratione elaborationis debeatur. Gratulor igitur TIBI, Vir Iuuenis *doctiſſime, de egregio eruditionis ſpecimine, DEVMque populi ſui rectorem deuota mente veneror, vt TE luce ſpiritus ſui colluſtrare, TEque in vſum cœtus ſacri virtutis, pietatis ac illibatæ ſanctimoniæ decore magis magisque exornare velit, quo ex corde puro aquas ſalutis non latulentas expromere ac gratiæ diuinæ laticibus quamplurimis munditiem animi internam conciliare, ſicque illos conſortio DEI ac ſanctorum adiungere poſſis. Vale iterum atque iterum in DOMINO, quem precor, vt curſum vitæ futuræ ad nominis ſui gloriam clementiſſime prouebat. Scribeb. Halæ Magdeb. ad d. IV. Aug. A. C. M DCC XXXVII.*

Quam

Q Vam præstans sit opus studiis simul addere praxin,
Exemplo monstras, Dulcis Amice! Tuo.
Sicut enim nucleus nil prodest cortice tectus,
Nullius est usus mens quoque docta latens.
Commeritas auget Thematis præstantia laudes,
Quod Tibi virtutis suppeditavit amor.
Ipse Deus sanctus cœpto benedicat abunde,
Ut tandem purus pandere sacra queas.

Hisce Nobilissimo Domino Respondenti, Eximiæ hujus Dissertationis Authori, de solido Eruditionis Suæ specimine gratulatur, seque Ejus amicitiæ atque benevolæ recordationi commendat

A. A. Hottinger. S. M. C.
Opp. Ord.

D Er wahren Weißheit Kern und Krafft
Verdammt zwar alles stoltze Prahlen,
Doch ist es Ihre Eigenschafft,
Bisweilen hell hervorzustrahlen,
Sie untersucht was gut und recht,
Sie lehrt das menschliche Geschlecht,
Und wen Sie einmahl eingenommen,
Bey dem muß zu bequemer Zeit
Die Probe Ihrer Trefflichkeit
Mit Glück und Ruhm zum Ausbruch kommen.

Freund! Dein Exempel lehret schon,
Die Wahrheit dessen was ich sage;
Die Weißheit zeigt **Dich** Ihren Sohn
An diesem **Deinem** Ehren-Tage:

Sie zeiget Dich, Sie prangt mit
Und Du besitzest schon von ihr,
Die Gaben Ihren Ruhm zu meh
Ein jeder wartet Sehnsuchts-vo
Bis er die Freude haben soll,
Dein freundlich Streiten anzuhö

So nimm denn diesen Kam
Der Himmel lasse dessen Stuffen
Ein Hoffnungs-volles Zeichen se
Dich ehstens höher zu beruffen:
Die Hoffnung winckt, die Vorsi
Wer weiß was Sie schon ausge
Den Fortgang Deines Glücks
Und sucht Dich dies zu seiner Ze
So laß mir Deine Gütigkeit
Und Freundschafft ferner eigen bl

Hiermit wünsch
zu dieser Pr
Glück

DVm docte illustras vete
Abramidum, LVTZ
Det DEVS, ut quovis
Fontibus ex puris f
In decus aptatum sic *vas* exi
Christi, quam multi
Quo facto, certe cum puris
Olim gustabis, nec

Paucis hisce f
genæ prosp
RI, Amico

Joh.

)o(

angt mit Dir,
on ihr,
n zu mehren:
ichts-voll,
soll,
n anzuhören.
sen Kampf-Platz ein,
Stuffen
Zeichen seyn,
eruffen:
ie Vorsicht lacht,
on ausgedacht,
Glücks zu treiben;
seiner Zeit,
tigkeit
r eigen bleiben.

rmit wünschet dem Verfertiger obiger Schrifft,
zu dieser Probe seiner Gelahrtheit vieles
Glück

F. S. S.

---

tras veterum *lustralia sacra*
, LVTZI, gratulor ipse TIBI.
quovis *lustratus* crimine, quondam
puris fundere detur aquas!
c *vas* existes in æde
m multis munditiemque feres.
n puris gaudia cœli
is, nectar & ambrosiam.

ucis hisce sincerum affectum cum voto omni-
genæ prosperitatis Clarissimo Dn. AVCTO-
RI, Amico suo integerrimo, testari voluit

Joh. Gothofr. Michaelis,
LL. Cult.

